



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**


**VD18 12431648**

Consideratio CXXVI. Invitantur omnes Christiani, ut in vita, & in morte  
recurrant ad SS. vulnera Christi crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

crucifixi JESU, quam Ecclesia in die Parasceves & alias per annum nobis solet proponere, si pio aspectu & mente attentiore illum volumus contemplari, qui pro nobis tam indigna pertulit? Cujus sanguis effusus, ait S. Joan. Chrysostomus, omnem terrarum orbem abluit; hic est salus animarum nostrarum, hoc abluatur anima, hoc inflammatur. Olim succlamabant Judæi ad Romanum Judicem Pilatum: Sanguis ejus super nos, Succlamo & ego ad Patrem cœlestem: Sanguis ejus super nos, non ad condemnationem, ah non, sed ad vitam æternam. Finio cum S. Hieronymo: Sanguis Christi clavis paradisi est. Hanc tene, & intrabis in eum.

S. Hieron. Ep.  
7. ad Dardan.



## CONSIDERATIO CXXXVI.

Invitantur omnes Christiani, ut in vita  
& in morte recurrant ad SS. Vulnera Christi  
JESU Crucifixi.

*Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. II. 28.*

I.

Jo. 7. 37.

**F**estum Tabernaculorum adhuc hodie solemniter celebrant Judæi; ad hoc cum Christus Dominus paucis ante passionem suam diebus in Jerusalem ascendisset paulò post crucifigendus, in novissimo die, hoc est in octavo magnæ hujus festivitatis ad populum abeuntem clamavit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Domine JESU! Quid per hunc clamorem validum, & invitationem ad populum, ut ad te veniret, voluisti indicare? Scio, quòd hæc verba Sancta Mater Ecclesia in hebdomada sancta fidelibus soleat proponere: *Stabat JESUS, & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Quid ergo per hoc voluisti nobis insinuare?

Zach. 13. 1.

Respondent SS. Patres & Interpretes, quòd pretiosissimus orbis Redemptor Christus illis verbis indicaverit illum fontem, de quo jam pridem vaticinatus erat Zacharias: *In illa die erit fons patens domui David.*

vil, & habitantibus in Jerusalem, in ablutionem peccatoris. **Observa:** Fons ille patens erat ipse Auctor vitæ, in cruce patens omnibus, & ex quinque Sacrorum Vulnerum canalibus sanguinem copiosè manantem subministrans omnibus, quo mundantur, reficiuntur, & dealbantur animæ peccatrices, unde magna cum fiducia ad hunc gratiarum fontem oportet nos accedere, ut & nos per ipsum gratiam & misericordiam consequamur in tempore oportuno; ad hoc enim nos excitat Prophetarum princeps Isaias: *Ecce, inquit, Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Isa. 12. 3.

2. O saluberrimi fontes! quid sunt plagæ istæ, ô Domine JESU! in medio manuum tuarum, & in medio pedum tuorum, & in medio cordis tui? Hadrianus Lyræus, sunt quinque fontes, qui è terre-Hadr. Lyr. stri paradiso quondam erubeant in universam faciem terræ, quia de 1. 1. 1. JESU omnes per hos quinque Sacratissimos fontes redempti sumus. par. 1. 5. c. 7.

3. Quid sunt plagæ istæ? Sunt refugium peccatorum. Thomam Apostolum incredulum consule, qui in his Sacratissimis plagis veniam, misericordiam & gratiam invenit: *Inser digitum tuum huc, & vide manus meas, & asser manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Jo. 20. 27. O peccatores omnes! respirate, ite ad Crucifixum JESUM, recurrite ad SS. Vulnera ejus: *Tutum refugium,* ait S. Augustinus, *mibi præbent Vulnera Salvatoris.*

4. Quid sunt plagæ istæ? Sunt quinque limpidissimi lapides. 1. Reg. 17. 40 quibus quondam David Goliath stravit, & superavit. Si vis diabolum ejusque superare tentationes; hæc adhibe arma, & victoriam reportabis. Ita teste Bollandi ipse Christus ad B. Margaritam de Cortona: *Si vis, inquit, puritatem inviolabiliter custodire, ser secum quinque lapides meorum Vulnerum, & cum eis tuum hostem in fronte percuties.* Bolland, 22. Febr. Et quare tu ô homo Christiane ac tepide, tam negligens es, & non similia spiritualia apprehendis arma, si caro insidiatur, & dæmon parat insidias?

5. Quid sunt plagæ istæ? Sunt foramina petra securissima: *Petra autem erat Christus,* in quibus se tutatur quælibet pia columba 1. Cor. 10. 1. & anima Christiana contra insidias antiqui hostis, quasi à raptu accipitris: *Columba mea in foraminibus petra,* ubi optatum invenit, & recipit asylum; unde rectè Petrus Cellensis: *Foramina petra sunt Vulnera,* Petr. Cell. c. 19. *qua pro salute nostra in Cruce suscepit.*

6. Quid sunt plagæ istæ? Sunt thesaurus incomparabilis Ecclesie, prorsus inexhaustus, & nunquam exhauriendus, dum una sola gutta hujus divini Sanguinis propter unionem hypostaticam ad Verbum

Ginther Unus pro omnibus.

T t t

bum

bum sufficientissima est ad redimendos mille mundos: *Bonus thesaurus*, ait S. Bernhardus, *qui fesso agro corporis Christi invenitur.*

Hoc mysterium advertit latro ille bonus, qui cum Christo ob demerita sua cruci affixus est, & cogitabat apud se: Ego fur eram in vita mea, ero & in morte, sed alius: Hic Dominus meus, qui innocentissimus inter duos nos pendet latrones, nihil mali fecit, quem ego peccatorum miserrimus Messiam, Dei Filium, & Mundi Redemptorem credo; hic, inquam, Dominus meus est liberalissimus, munificus ac profusus in omnes, quia peccatoribus veniam legat, pro suis crucifixoribus orat, militibus vestimenta consignat, Discipulo Matrem, omnibus immensum Sanguinis ac SS. Vulnerum pretium. Accedam & ego, & furabor regnum cœlorum, proinde humiliter supplicare cepit: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et quid sequitur?

Luc. 23. 42.

*Hodie mecum eris in paradiso.* Supra quod egregiè Taulerus: *O magna latronis prudentia! videbat patere Domini sui thesauros, & penitus profusus esse. Quis igitur velaret eum accipere quantum erat debitum suum, ut satisfaceret Domino suo?* Accepit, & per Sanguinem ac Vulnera Jesu divinæ justitiæ satisfecit. O Christiani omnes! adhuc patet ille thesaurus: Emite abs-

Isa. 51. 1.

que argento, en manus ejus nondum est abbreviata, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. Proinde cum bono illo latrone curramus ad crucifixum amorem nostrum in omni tribulatione nostra, & inveniemus requiem animabus nostris; ipse enim dixit, & etiamnum

Matth. 11. 28.

ad nos de cruce clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ego vulneribus meis vestra curabo vulnera, quia *Pharvaca sunt potius quam vulnera, Vulnera Christi; Curat enim plagis vulnera nostra suis.*

7. Quid ulterius sunt plagæ istæ? R. Vincentius Caraffa dignissimus Præpositus Generalis Societatis JESU: *Sunt paradisus anima.* Si Adam in terrestri paradiso perseverasset in statu innocentiae, præter gratiam justitiæ originalis certò obtinuisset gloriam cœlestem. Quisquis, habitat in paradiso SS. Vulnerum & lateris Christi, præterquam quòd se in virtutibus possit perficere, habet insuper certum pignus futuræ in cœlo gloriæ, quia *certa atque segura*, ait S. Leo, *est expectatio promissa beatitudinis, ubi est participatio Dominica passionis.*

S. Leo in ser-  
de I. aff. D.

Petrus quondam in monte Thaboræo suum quærebat paradisum: *Bonum est nos hic esse*, unde tria voluit ædificare tabernacula, sed *nesciebat quid diceret.* Animem mi! veni mecum ad Calvarium montem, & ostendam tibi quinque tabernacula, quinque videlicet SS. Vulnera Jesu crucifixi, & *quàm bonum est nos hic esse.* Expertum tibi sisto testem S. Antonium Florentinum Archiepiscopum, staturâ quidem pusillum, sed

Nadal. 2.  
Maj.

sed virtute magnum, qui suam habitationem ac paradysum non alio in loco quarebat, quàm in SS. Vulneribus Christi; hinc cùm aliquando ad Crucifixi imaginem devotissimè oraret, divinà viin aërem elevatus, à suavissimis Jesu Vulneribus, inter oscula devotissima pendens, visus est; ubi reverà paradysum suum invenit: *O cecitas filiorum S. Bonaventurae*, exclamat S. Bonaventura *qui per hac Vulnera in Christum nesciunt intrare. An ignoratis quòd Christus est gaudium Beatorum? Cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire?*

7. Quid denique sunt plagæ istæ? Sunt claves vitæ & mortis, paradisi & inferni, quæ justis ac pœnitentibus referant cœlum, injustis ac impœnitentibus infernum; hinc piis sunt amoris & salvationi, impiis terrori ac damnationi. Quod patet in duobus latronibus cum Christo in crucem actis, de quibus ita S. Chrysostomus: *Uterque pendet in cruce, uterque furacis vitæ, similis utriusque conversatio, sed non in utroque mens, usque ad tempus quidem crucis viam malignitatis ierunt: Crux autem divisit utrumque, dum unus salvatus, & alter damnatus est.*

9. O peccatores omnes: *Quarite Dominum, dum inveniri potest: in- vocate eum, dum propè est &c. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum, præsertim pendens in cruce.* Eja itaque, repeto monitum, miserande peccator! quiscunque es, fuge ad crucem, fuge ad SS. Vulnera Jesu: *Montes excelsi cervis*, ait Prophe- ta Regius, sed *petra refugium herinaceis*, per cervos significantur Sancti ac perfecti, qui per contemplationem degunt in sublimibus paradisi montibus, inferiores verò seu peccatores, velut herinacei, libenter habitare debent in petra, quæ est Christus, & potissimùm in Sacris ejus Vulneribus, prout fecit S. Comes Elzearius, sic ad virginem suam conjugem scribens: *Si me videre cupis, quare me in vulnere lateris Christi, ibi enim habito, & ibi me poteris invenire.* In passione Christi, ait Thomas Kemp. & in SS. ejus Vulneribus libenter habita: *Si enim ad Vulnera lib. 2. c. 1.* & pretiosa stigmata Jesu devotè confugeris, magnam in tribulatione consolationem senties.

